DE

CHRISTIANA PUERORUM INSTITUTIONE

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM DEO BENE VERTENTE

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PRO LICENTIA DOCENDI

Die VII mensis aprilis, A. D. 1897, hora a. m. IX

PUBLICE DEFENDET

Eduardus RŒHRICH

PARISIIS

APUD FISCHBACHER

33, rue de Seine, 33

MDCCCXCVII

Præside V. S. V. E. VAUCHER,

Solemne exercitamentum moderabuntur triumviri doctissimi

E. VAUCHER,

E. EHRHARDT,

A. LODS.

N° 223

ERRATA

Pagina 20. Versus 5. Lege : vitia.
» 21. » 6 *(ab imo)*. Lege : dæmones.
» 25. » 2. Lege : instituendi.
» 32. » 6. Lege : paramus.
» 40. » 4 *(ab imo)*. Lege : Hoc unum statuemus, ceteras omnes de fide sententias ita ut gratia divina glorificetur et pœnitentiæ fideique necessitas patefiat, exponendas esse. Articuli enim, etc.

DE CHRISTIANA PUERORUM
INSTITUTIONE

I

Quo modo ars pueros instituendi cum philosophorum et theologorum doctrinis conveniat

I.— Christianam Institutionem eam artem vocamus quâ puerorum animi ad mores Religionemque conformentur.

An talis disciplina exstare possit primum quærendum est, quum ad Religionem respicimus quâ *Gratia* solus salutis fons et sola ad altiorem vitæ rationem via esse existimatur.

Gratiam quidem humanâ operâ nonnunquam uti constat, vel ad verbum Dei prædicandum, vel ad sacramenta administranda. Verum humani ministerii in gratiæ opere duo genera fingere possumus. Sunt qui Deum solum et agere et loqui et suadere, homines vero cæca esse divinæ voluntatis instrumenta existiment. Alterâ ex parte, homo hominem et docendo et

hortando, et se ipsum exemplum præbendo, auctiorem facere existimatur, id est discipuli indolem erigere, menti lumen præferre, voluntati vires addere, moresque ita regere ut discipulus re ipsâ christianus fiat, qui, fide confirmatus, christianis virtutibus conscius et diligens acriter studeat.

At nos, unâ ex parte, si Deum omnia efficere et homines cæca instrumenta esse cogitaremus, non sine irreverentiâ de arte pueros instituendi tractare possemus. Si vero homines, suo ipsorum ministerio, puerorum indolem ad religionem formare putaremus, gratiam minimi facere videremur.

II. — Huic quæstioni aliæ quædam antecedentes connectuntur, quæ ad totum puerilis institutionis genus pertinent. Universa enim de puerorum institutione doctrina variis philosophiæ partibus, quæ de metaphysicis, de humani ingenii notitiâ, de moralibus tractant, arctissime connexa est, et multiplicibus philosophicis quæstionibus implicatur.

Philosophorum enim quorumdam doctrinæ ipsi puerorum institutioni omnino repugnant. Harum in numero istæ sunt quæ omnia *fato* fieri existiment, aut *libertatem transcendentem* fingant.

Philosophi illi, qui fato omnia fieri arbitrantur, artem pueros instituendi eâ ratione quâ ad religionem pertineat, quasi gratiæ Providentiæque operi repugnantem necessario tenent. Isti quidem sententiæ et Novi Testamenti scripta et Jesu apostolorumque habitus nihil afferunt. Apostoli sane soli Deo gloriam totam tribuunt, sed eam sibi vindicant auctoritatem, quâ rudes indoctosque discipulos doceant instituantque.

Seipsos tantum Dei ministros, pro Deo verba facientes, existimant ; attamen et hortantur, et vituperant, et minantur, magistrique pueros instituentis more se omnino gerunt. Nam apostoli præceptoresque idem sibi propositum habent, nempe ut auditorum indolem informent.

Gratia divina non vis quædam cæca æstimanda est quæ hominem ageret, sed talis potentia, amore valida, quæ juxta animi indolem unumquemque hominum libertate induat confirmetque, nedum eum servitute constringat aut vinculis subjiciat.

Hominem igitur gratiæ Dei omnia debere constat ; christianæ tamen institutioni facultatem quâ homines ad christianam vitæ rationem ducantur tribuere licet. Hoc igitur demonstrare proposuimus, quo modo ars christianæ institutionis gratiæ operi quam optime opem ferre possit, ita ut nullo modo huic operi repugnet, sed Dei gloriam sectetur consequaturque.

III. — Alterâ ex parte cum instituendi arte, juxta rationem dispositâ, philosophorum illorum doctrinæ discrepant, qui fato quidem omnia fieri negantes, *liberum arbitrium* quasi hominibus innatam facultatem extollunt, quæ, antequam corpus intellectusque crescant, per se ipsam et ante omnia, rebus corporalibus etiam abstractis, existeret ; quæ Kantii est *transcendens libertas*. Nam si natura humana liberi arbitrii dono indelibili ab initio donaretur, nullus disciplinæ locus superesset. Non enim instituere hominem possemus, qui libertate quâdam præditus esset, quæ ut luberet se gereret, et cujus consilia nunquam præsentiri motusque regi possent. Liberum arbitrium

facultatem eligendi vocamus, quæ, nisi regulis subjiciatur, vel incertis motibus diverse agetur, vel libidinibus rapietur. Consilia igitur libere suscipere et perficere voluntati tantummodo licebit, dum regulis ac rationibus quibusdam imbuta et gubernata sit. Veræ autem libertatis interest an homo bonam aut pravam vitæ regulam sequatur. Principiorum etiam, quæ dicunt, naturam ad ipsam libertatem nullius momenti esse jure affirmari non possit. Nam vitiosæ consuetudines hominem quasi servitio tenent, et vinculis eum onerant constringuntque, qui virtute tantummodo fit liber, Quin etiam? Si liber nasceretur, homo, infirmitatibus naturæ suæ circumdatus impeditusque, non re ipsâ se liberum ostenderet. Non enim libertatem illam dicere licet, quæ in vita officiis non conjungeretur, nec virtutis disciplinâ duceretur.

His argumentis accedit Reformatorum testimonium. Qui quidem homini libertatem quamdam natalem, sed illam rudem imperfectamque, tribuunt, quâ ipse res externas animadvertere, bibere ac edere, moveri ac circumagi, laborare aut quiescere, irâ aut cupiditate, invidiâ aut amore affici potest, quam facultatem libri symbolici libertatem civilem vocant. Sed ea omnia non veram libertatem significant, quam semper cum indole ad mores formatâ cohærere constat. Vis ista quæ rebus extraneis diligenter consulit, speciem forsan libertatis præbebit ; sed evanescet profecto si bona perficienda sint, mala patienda, officia erga civium socialem cœtum exsequenda, Deus colendus amandusque, homo denique ab homine diligendus. Instinctus tantum supererunt, quorum impetus, quamvis vehe-

mens sit, nos impotentes raptos ostendet, nec liberum sed servum arbitrium manifesto patefacient.

Libertas enim in eo sita est, ut ex duobus serviendi generibus unum magis eligere velimus, vel peccati servitium quo libertas posthac tollatur, vel obsequium sub legibus Dei, quâ libertas, sponte deposita, nobis reddatur.

Hoc igitur sibi christiana institutio propositum habet, ita pueros instruere ut, quum recta honestaque sentiendi et agendi consuetudo animis inculcata sit, Dei obsequium eligant, indolisque suæ instinctus in melius vertant.

Nascitur ergo servus, fit homo liber Dei gratiâ christianæque institutionis operâ.

Antequam optimam christianæ institutionis rationem exponamus, quatuor sequentia, quibus ars illa innitatur, primum animadvertere et considerare oportet ; quæ *principia* dicere nobis liceat. Itaque nobis de quatuor sequentibus dicendum erit :

a). De simili singulorum hominum et totius generis humani progressu, quod *speculativum principium* vocamus.

b). De peccato originali, quo indoles pectusque hominis perturbantur inficiunturque, quod principium ad *physicam* et ad *metaphysica* pertinet.

c). De discrimine extraneæ disciplinæ, quâ passiva obedientia obtinetur, a morali christianâque institutione, quæ spontaneam liberamque obedientiam consequitur : quod nobis *activum* seu *ethicum* principium est.

d). De experientiæ operâ in morali religiosâque puerorum institutione, quod principium ad *ingenii humani notitiam* spectat; quod *principium psychologicum* nobis dicetur.

IV. — *a)* Unusquisque hominum simili ratione quâ totum genus humanum crescit. Illi quos veteres dicimus, quia prioribus sæculis vixerunt, re ipsâ juniores existimandi sunt ; qui enim experientiâ scientiâque rerum, quas homines increscentibus sæculis assecuti sunt, carebant. Veteres igitur et in percipiendo et in intelligendo pueris nostris simillimi erant, et in agendo puerorum more majore candore utebantur. Idcirco veteres illi, qui recentiores affectus percipiebant, simplicibus animi motibus afficiebantur, qui et inornato et lucido sermone utebantur, minus a pueris nostris quam homines ætatis nostræ differunt, sed cogitationibus et sermone maxime cum puerorum mente congruunt.

Præsenti tempore genus humanum jam natu majus aut ætate etiam confectum videtur. In cogitationibus et in sermone experientiâ per pristinum tempus adeptâ auctâque jam nunc utitur.

Idcirco pueros primo loco ea quæ per priora tempora facta dictaque aut scripta sint potissime docere decet. Hâc auctoritate narrationum Veteris Testamenti usus ad pueros instituendos satis probatur; simplici enim et puerili quidem sermone veritas et ab initio et altius illis narrationibus exponitur.

Tum singulos quoque homines simili ratione quâ totum genus humanum educatum sit, instituere decet. Disciplinam quâ Deus genus humanum instituerit

inspiciendo, ars, quâ unusquisque hominum singulariter instituendus sit, invenietur.

Deus primum homines imperio legis pressos tenuit (legis quidem nomen quam latissimo sensu usurpamus). Lex conscientiæ, quâ de se ipsis secundum moralem rationem judicant, hominibus innata est. Quum in civili cœtu vivant, necessario moribus et traditis scriptisque legibus (quæ si tollerentur nulla esset societas) homines subjiciuntur.

Electo quidem populo Deus religiosas leges imposuit, quarum summam in Decalogo habemus.

Lege homines sub servitute tenentur, libidines cupiditatesque eorum coercentur; promissa eos præmiorum merces ad obedientiam incitat, denuntiatæ pœnarum minæ sub jugo tenent. At legis propositum tantummodo obtinetur quum illam jure impositam fuisse confitemur, quum Legum dator amatur coliturque, quum jussa non timore sed amore explentur. Tunc quidem lex non amplius jugum existimabitur, sed disciplina quâ libertas obtineatur, humanæ dignitatis tutela, et institutio quâ ad Christum ducamur erit.

Simili modo pueri primum sub legis jugo tenendi sunt, patri matrique parebunt, tunc societatis hominum jussis obtemperabunt, denique conscientiæ præcepta Deique mandata exsequentur, et hoc incremento libertatem per obedientiam discent.

Primo igitur loco ars instituendi hoc præcipiet, pueros severæ disciplinæ tenerâ præcipue ætate subjici debere, quæ severitas remittetur eodem progressu quo pueri legem intellexerint ac sponte acceperint.

Aliâ quoque ex parte humani generis singulorumque hominum institutionem similem esse animadvertere licet.

Nam quum legem, tum promissionem salutis homines per patriarchas prophetasque simul acceperunt. Quâ Legum dator ab initio misericordiam suam erga eos qui frustra toti legi satisfacere conati sint, revelavit. Decalogus ipse divini amoris testimonio est, nam fœdus cum populo Israël faciendo, Deus fœdus cum universitate humani generis paravit ; et promulgatio legis in hoc salutis consilio per sæcula evoluto, tantummodo incidit.

Simili ratione pueros singulos a Deo amari constat, ab eo tempore quo baptismo regenerati promissionem remissionis peccatorum acceperunt donec lex imposita fructus suos omnes attulerit, donec pœnitentiâ ac fide puer bona in æternum promissa obtinuerit. In instituendo igitur puer non tantummodo ut legi servitute subjectus, sed ut semper et continuo a Deo amatus reputandus est.

V. — *b)* Ut ad corruptionem homini innatam veniamus, natura hominis primum intuenda est. Unicuique hominum indoles innata est, et corporis mentisque peculiaris propriaque natura quâ homo ab homine dissimilis est. In hanc corporis mentisque indolem res externæ aliquid pollere non possunt, at illis repugnans, unusquisque hominum naturæ suæ propria, quibus a cœteris discrepat, usque ad mortem retinebit ac servabit. Habitus ille cuique innatus non disciplinâ ullâ evelli potest, nec singularis hominis

natura pernosci. Licet innati instinctus aut regantur aut formentur, tolli tamen nunquam possunt.

Notam summæ corruptionis natura innata ab initio fert. Pueri, naturâ suâ, omnes illis quæ jure a civili cœtu exiguntur, repugnant, et ab officiis erga Deum, parentes cœterosque homines abhorrent. Nec timore nec veneratione aut amore afficiuntur. Sibimet ipsis relicti nullum isti perturbationi remedium inveniunt, et etiamsi se vitioso impetu impelli cognoscant, tamen habitum mutare nequeunt. Tam corporis quam mentis naturâ quin recta cupiant faciantque impediuntur. Nam pectora membraque eâdem nefariâ imbecillitate vexantur, nec corporis corruptionem a mentis pravitate secernere possumus, quum utraque a parentibus liberis tradatur.

Hæ cogitationes Scripturæ testimonio confirmantur, quo Adami peccatum toti humano generi detrimento fuisse demonstratur. Nam peccando ille imprimis id effecit ut ipse e Paradiso pelleretur, ut posteri miserandâ sub conditione viverent, hominesque posthac omnes morti subjicerentur. Unà ex parte, scriptura omnes homines a primâ natali die protinus peccatores esse demonstat ; alterâ ex parte, Deum omnes homines ut peccatores habere et in eos ut in peccatores animadvertere Scripturæ testimonio constat. Paulus apostolus in præcipuis hoc argumento utitur : quum homines omnes mortales esse constet, ipso facto eos peccatores esse demonstratur, nam quum Deus mortem peccati pretium statuit, profecto in omnes homines Adami peccatum contulit. Sic humanam corruptionem speculativâ ratione affirmans, apostolus ex argumento suo eadem illa colligit ad

quæ nos res ipsas multiplicemque hominis naturam inspiciendo adducimur.

Utrum innata corruptio *culpa* quædam, cujus pœna luenda sit, an infirmitas quædam, sine culpæ conscientiâ, existimanda sit, nunc quærendum est.

Doctores enim multi nullam culpam esse, quæ non scienter àc libere peracta sit, tenent, nec reum esse hominem, nisi culpæ sibi conscius peccaverit. Hanc sententiam, de quâ controversiam non facere licet dum de humanâ imperfectâ ac rudi justitiâ agitur, ubi ad absolutam perfectamque Dei justitiam respicimus, non ad imum defendi posse censemus. Omnia autem quæ nobis conscii agimus, ab antecedentibus motibus fluunt; quorum præcipui primique instinctus innati sunt qui in primâ ætate nos fugiunt et aliquando per totam vitam ignoti latent. Si quæramus quo temporis momento in facto quodam conscientia appareat, quâ ætate ab homine ratio jure poscatur, quo tempore detrimentosum aliquid scelestum demum fiat, nunquam satis certo respondebitur. Nec etiam responderi potest, nam ætate jam firmatâ, maturisque facultatibus, multa nostri inscii vel instinctu vel consuetudine agimus, quorum quædam nec bona nec mala sunt, alia vero aut honesta aut flagitiosa. Humani judices ipsi non semper scelus levare possint, quod imprudenter peractum sit.

Itaque non secundum conscientiæ gradum reddendæ rationis æstimatio facienda est, nam si hominem tantummodo reum pronuntiaremus, qui sui conscius et causarum consequentiumque omnino prudens esset, in summum culpam ipsam negaremus. Nec nostrâ æstimatione, etiamsi illa quam tenuissima sit, culpa

determinari potest ; sed Legis Divinæ testimonio, quæ aut conscientiæ nostræ aut revelationis opere patet, constituitur. Hac lege, et imprudenter peccantes, peccatores declaramur.

Cujus rei in christianâ institutione ratio habenda erit, et, ut instituendi disciplina ad corruptam hominis naturam idonea inveniatur, peccatum originale animadvertendum erit.

VI. — *c)* Ex hâc originalis peccati doctrinâ falsa quædam a nonnullis colliguntur.

Quum ab initio natura humana corrupta sit, vitiosam pueri indolem per vim coercendam refrenandamque esse, et externum honestatis pietatisque habitum callidâ præmiorum pœnarumque compositione imponendum esse homines isti inferunt, et auctoritate usi abusique sunt ut pueros in iners obsequium redigerent.

Quæ disciplina eo justior esse videtur quo Deus ipse eâ in populum Israël usus sit. Nam quum leges ad mores pertinentes, tum leges criminales cæremonialesque Israël a Deo quoque impositæ sunt, quibus populus sub jugo teneretur, fera ipsius natura domaretur, pectora dura mollirentur. Idcirco superioris hujus exempli auctoritate usi, nonnulli disciplinam quamdam ejusdem naturæ pueris imponendam esse censuerunt, quâ rudem eorum indolem domarent eosque ad obedientiam, quæ *passiva* dicitur, redigerent.

Legem Mosaiticam graves pœnas in nominis divini contemptores sane constituisse constat, et Deo illud propositum fuisse ut docilem attentumque populum sibi pararet.

Hoc tamen legis usu tota legis sententia non continetur. Lex moralis non externum habitum modo, sed ipsum pectus mutare et pœnitentiam ac fidem obtinere nititur. Leges cæremoniales ipsæ ad tempus modo constituæ fuerunt, et imaginem Novi Fœderis, quo persolvendæ abolendæque erant, præbebant. Leges criminales civilesque ut populus Israël a ceteris populis secerneretur, statuebantur, donec claustra rumperentur tollerenturque, omnesque fideles spiritu Abrahamo jungerentur filiique ejus fierent.

Christiana institutio simili erga pueros ratione se gerit. Primâ ætate effrenatos puerorum instinctus necessario coercet ; si enim deesset disciplina illa, pueri continuo non civium cœtui modo, sed sibi ipsis detrimento forent ; sibi relicti, nec moderatione nec prudentià uti possent, remotisque custodibus pœnarumque timore secluso, vitam et valetudinem in discrimina semper committerent, suis periculum afferrent, civitatisque etiam securitatem in dubium vocarent. Idcirco pueri primo disciplinæ subigendi sunt et ad passivam obedientiam informandi. Homines quidem multi per totam vitam puerili more se gerunt, quos semper institutâ civitatis disciplinà aptisque custodibus quominus reipublicæ securitatem subvertant, prohibere oportet.

Verum disciplina legibus statuta minus apte cum verâ christianâ institutione congruit. Ista enim civitatem ab effrenatis juvenum ingeniis tueri nititur, quod multum a puerorum institutione abest. Lex enim coercitionis in civitate passivam obedientiam tantum exigit ; christianæ institutionis disciplina obedientiam amore liberatam efficere studet.

Errant igitur qui corruptam hominis naturam legum coercitione mutari posse existiment; quæ, honestum puerorum in externis habitum assequentes, non puerorum ipsorum sed civitatis saluti consulunt. Vera autem instituendi disciplina pectora mutare, liberumque animum a passivâ obedientiâ abhorrentem informare satagit.

VII. — *d)* Quum legis disciplina ad mutandam hominis corruptam indolem parum valeat, nobis difficilius patebit quo modo pectora flectamus convertamusque. Nam innatæ corruptionis effectu homines consilia ægre audiunt, crescenteque sui ipsorum amore nullâ auctoritate moventur. Nihilominus apud pueros instinctus facultatesque quibus puerilis institutio comparari potest invenire licet.

A primâ ætate insolitis inauditisque quibuscumque rebus puer movetur, illis gaudet, aut timore mœroreque afficitur; sæpe, hebescentibus sensibus, curiosum ingenium superest, et quod miratur, puer cognoscere cupit. Audiendo videndoque puer sic quid sit utile, quid necessarium, quid pulchrum, quid bonum justumque discit. Huic inchoatæ disciplinæ seniores consiliis et hortationibus opem ferre possunt, et ipsi puerorum inquisitionibus materiem dant. Exempla eorum puer imitabitur, virtutesque aut vitia animadvertet.

Hâc tamen ratione vix perfecta disciplina instituitur. Puer enim non recta videt, et in æstimatione rerum sæpe errat, et etiamsi nullo errore deciperetur, ex observatione circunstantium hominum rerumque minimam utilitatem caperet. Nam hâc discendi ratione nec

distantia præteritave noscere, nec veritates mentis fideique, quas non tangere aut cernere licet, percipere posset.

In christianâ autem institutione naturalis puerorum cupiditatis, quâ res ipsi experientiâ intelligere velint, ratio habenda est. Nisi enim ipsi fidei effectus experirentur, non ad altiorem christianam vitam progredi possent, frustraque eis christianæ doctrinæ traderentur. Non rationibus et argumentis puerilia ingenia moventur, sed rebus factisque modo attendunt, et specie quâdam, et fictâ quidem, omnia videre ac tangere cupiunt. Hanc cupiditatem philosophicæ doctrinæ nullo modo explent; quas igitur pueros jam ætate majores docere decet, quum prior institutio, in experientiâ posita, fructum suum jam ceperit.

Duo igitur christianæ institutionis satis discreta momenta sunt : in primo institutio puerilis in experientiâ ponetur, in altero doctrina docebitur.

II

De usu historiæ sacræ quo pueri christianæ vitæ experientiam adipiscantur

DE HISTORIA SACRA VETERIS TESTAMENTI

VIII. — Pueros primâ ætate sola experientia, res hominesque inspiciendo et quantum valeant quantique sint considerando, discere statuimus.

Ut experientia perfecta esset, præterita remotaque observare oporteret. At quum ista non ut proxima inspicere liceat, illorum qui viderunt, et quæ notavere tradiderunt, testimonio necessario utimur.

Præterea christianæ institutionis interest pueros malum a bono discernere ; si enim ipsorum morales cogitationes non formarentur, nunquam a malo abstinere possent.

At quum rem bonam aut malam esse non, nisi experta sit, statuere possimus, timendum sane est ne experientia ista pueris detrimento sit, opertebitque ut quæramus an experientiam quamdam ad eruditionem aptam fingere possimus, quâ pueris res cæcas aut præteritas inspicere et malum non usu quidem cognoscere liceat.

Hanc experientiam constitui posse censemus et in educatione docendo effici.

Quum res docemus, arte experientiam quamdam fingimus, quâ pueri inchoatam imperfectamque rerum præsentium et spectabilium cognitionem, per inspectionem fictam et comparatam, et alere et producere et perficere possint. In docendo enim hoc propositum

habemus: res, hominibus aut nunc viventibus aut mortuis, aut præsentibus aut remotis expertas, ita junioribus proponere ut ipsi animo rerum ab aliis gestarum participes se fieri credant. Similis docendi ratio in theatri fabulis invenitur, quibus vita et virtutes, casus et dignitates tantâ veritate pinguntur ut personæ affectuum spectatores socii fiant, et res fictas bonas pravasve animo participent.

Scriptura quoque tragœdiam quamdam, quâ perpetuum et vividum documentum traditur, nobis exhibet. Veteris Testamenti historia sacra nobis Deum ipsum in mundo agentem demonstrat. Tum quoque ante oculos nostros homines ducit, quorum natura aperte patet, ratio consiliorum lucide ostenditur, et habitus virilis, inter omnia quæ circumstant et diverse occurrunt aut tragice eveniunt, mirabiliter exstat et eminet.

Res vero quarum nos ipsi aut actorum aut testium more participes fuimus a nobis non tam accurate et lucide cognoscuntur quam illæ quæ a sacræ aut profanæ historiæ scriptoribus relatæ sunt. Nam in rebus præsentibus, minimi profecto momenti, difficillime rerum nexum et Dei interventum comperimus. Raro quidem causas ultimas, rarius etiam incertos futuros eventus perspicimus. Innumerabiles causæ accedunt quibus veræ causæ rerum, quæ ab hominibus aguntur aut historiâ traditæ sunt, nobis occultantur. Experientia, quæ in solà rerum præsentium inspectione poneretur, necessario imperfecta esset, et graves perniciososque errores traheret. At ille qui veras factorum eventorumque causas discernit, quid sibi illa velint non intelligit, dum quæ consequantur non percipit. Sic in Veteris Testamenti historià homi-

nes quibus error gravis ex leviori rerum inspectione ortus damno fuit multos invenimus. Sic Pharao, quum Dei voluntatem non agnosceret, sibi ipse perniciei fuit. Errores isti eo graviores sunt quo metuendum est ne pueri, qui illis deludantur, et sibi ipsis et toti humanæ societati periculum afferant; qui, scientiam vitæ nondum tenentes, quum agunt non quod sequatur satis intelligunt, et eos bonorum malorumque eventorum causæ fallunt. Utilissimam scientiam illam modo historiâ comparare licet.

IX. — Historiâ Sacrâ Veteris Testamenti pueri veras factorum oculis subjectorum causas dinoscere, et quod verâ ex pietate aut ex peccato consequitur æstimare assuefiunt. In vitâ consequentia persæpe magno temporis spatio a causisdistant. Moses non in Terram Promissam intravit, Isaias et Jeremias nunquam spei suæ compotes fuerunt. At quum illa, quæ re ipsâ per longum sæculorum ordinem evenerunt, historia sacra paucis verbis presse dicit, malum semper perniciei fuisse et fidem erga Deum semper prospere evasisse declarat. Nulla quidem philosophica doctrina eosdem affectus iisdem causis semper trahi tam lucide et plane demonstraret.

Præterea historia sacra homines tales quales fuere pingit. Non falsâ istâ opinione, quâ nobis ubique aut angelos aut dæmone, aut viros omni culpâ carentes aut scelestos sine ullâ virtute homines fingamus, nos unquam deludit. Ipsum enim Saul bello strenuum fuisse ostendit, culpasque David Salomonisve non celat. Apud Jacob ante omnes vitia virtutesque mire intermiscentur. Ita perniciosi errores non promoventur,

sed in rebus omnibus veritas semper splendide illustratur.

Prophetarum patientiâ, fide Dei per sæcula confirmatâ, justitiâque Illius diversis indiciis manifesto declaratâ, juniorum ingenia ita moventur ut de verâ rerum naturâ cogitare incipiant, Deo fidant, et patientiam pietatemque non inanibus argumentis, at vividâ quâdam experientiâ obtineant. Ad veram vitam his exemplis formantur, et experientia in historiâ sacrâ comparata eos docet ut Deo semper confidant, justitiam semper affectent, nec obstantibus impedimentis terreantur, sed instructi et armati eis occurrant.

Unum tamen exemplum non sufficeret, nec uno exemplo bona honestaque juniorum consilia confirmarentur. At multiplicibus diversisque exemplis, cogitationes ipsorum reguntur, trahitur voluntas, et mens constantiâ imbuitur. Quod sæpe animo volvimus hoc agimus, et ex abundantia cordis os loquitur.

Oportet igitur ut præceptores historiam sacram studiosissime et diligentissime doceant, nec curam illam libris permittant.

Libri enim quam optimi narrationis sermone traditæ locum minime tenere possunt. Ne tamen frigida sit fastidiosaque oratio, absitque obscura involutaque elocutio, quâ philosophi theologique delectantur ; at simplici et lucido, adeo vivido sermone historiæ illæ narrentur. Qui bene narrat, non verba modo pueris tradit, sed homines resque tantâ vi ante oculos pingit ut ea quæ dicantur pueri se videre credant et eventorum etiam se animo participes fieri putent.

DE HISTORIA SACRA NOVI TESTAMENTI

X. — Quid Vetus Testamentum ad instituendos pueros valeat, jam brevibus dïximus. Non modo in puerorum cogitationes, judicia et affectus valde influit sed Providentiæ rationem per rerum universitatem gradatim explicatam ostendit, mali originem demonstrat, et summum Divinæ Sapientiæ consilium paulum patefacit. Illa quidem, jam tradita, Historia Sacra Novi Testamenti altiore etiam et perfectiore modo docet, nam Providentiæ consilia in Jesu Christo explicata absolutaque nobis demonstrat.

Jesu Christi vitam, trium priorum Evangeliorum narratione præcipue adhibitâ, pueros ante omnia docere decet. His enim Evangeliis verba factaque Domini simpliciore et vividiore modo enarrantur ; in Joannis contra Evangelio, orationes multæ, difficiles intellectu, præcipue inveniuntur.

Evangelia Christum, modo gloriâ majestateque circumdatum, modo humilem miserumque ostendunt. Pueros primum in splendidam divinamque Jesu speciem attentos facere decebit : mirabilis Illius nativitas, miracula et gloria, insignisque resurrectio pueris majestatem Salvatoris ostendent, atque eos veneratione et admiratione afficient ; et doctrinâ divinæ caritatis jam acceptâ, et cognitis prophetarum sermonibus, affectus illi corroborabuntur. Quibus omnibus veneratio erga Illum, in quem præteritorum sæculorum studia et spes in futura conveniunt, profecto augebitur.

At Christum non bene cognoscimus, nisi humilitatem ejus sponte assumptam causasque humilis

suscepti habitus intelligamus. Majestas enim divini Jesu Christi officii cum humilitate terrestris ejus speciei difficillime congruere, et mors Illius turpissima præcipue cum præclarà origine quam maxime discrepare videntur. Crux jam Judæum offendit, et pueri Jesum crucifixum cœli terrarumque Dominum esse difficilius etiam intelligent. Qui nitore et splendore potius quam humilitate secundum naturam suam capiuntur, et quum nondum cruciantem gloriæ viam experti sint, Passionis mysterio primum stupore implebuntur. At stupore illo cogitationes quæ multum ad hominis informationem valent gignuntur.

Ante omnia, Jesus crucifixus nos de gravitate humani peccati monet, tum divinam misericordiam revelat, et oracula prophetarum confirmat. Tum his meditationibus aliæ quædam subnectuntur : quum enim Christum vitam pro peccatis nostris tradidisse cognoverimus, Illumne quem nos tanto amore, ut vitam pro nobis piaculum obtulerit, dilexisse constat, non amare possemus ? Quum primo amoris affectu puer movebitur, tum humilem Christi habitum, credentibus quidem verâ majestate splendentem, intelliget.

Recta Passionis æstimatio puerorum institutionem promovebit, et illâ dolores fortiter ferre discent. Dum Christum pro nobis mortuum esse non credimus, dum peccatorum remissionem non speramus, soli inermesque malis obruentibus et conscientiæ sollicitudinibus vexamur; quum vero Jesum mœrorum nostrorum onus sustulisse noscimus, non destitutione amplius afflicti, sed Christum angorum nostrorum certo participem esse scientes, illos libenter et fortiter ferimus.

Ut vero juvenes in vitâ progredientur agentque, institutendi disciplina, eâ ratione quâ illi consilia non suscipere tantum sed dolendo ac patiendo etiam perficere sciant, se optimam esse ostendet. Quum præcipue varia obstantia impedimenta tum amovenda sint, juvenes a tenerâ ætate ad patienda mala Christique crucem sibi sumendam exerceri debent. Sæpe enim infelix eventus felix fit, victus victor evadit, gaudet mœstus, infirmusque corroboratur.

III

De usu christianæ doctrinæ quo pueri moribus pietatique conformentur

QUOMODO PUERI CHRISTIANAM DOCTRINAM DISCENDO INSTITUANTUR

XI. — Historiâ veritates christianæ religionis imperfecto tantum ac brevi modo exponuntur. Providentia quidem per terras agens ostenditur, at ea quæ ad salutem pertineant, legis usus, pœnitentia et fides, peccatorum remissio, mortuorum resurrectio, nequaquam doceri possunt. Ceterum historiam sacram Bibliorum partem tantum esse, multosque libros in illâ qui de doctrinâ agant esse constat. At libri illi nonnunquam difficulter intelligi possunt : quid sibi velint prophetæ aut Paulus in epistulis, non nisi diligenter studendo percipimus. Quum igitur pueri ad studium illud suscipiendum parum apti sint, doctrinas christianas eos recte et enucleate, ut facilius sacræ Scripturæ studeant, docere decet.

At ex christianæ doctrinæ cognitione non Bibliorum tantummodo intellectum accipere possumus, sed etiam ad christianam vitam conformamur. Idcirco doctrinæ scientiam ad puerorum institutionem spectare constat. Doctrinam igitur hâc ratione nunc expendemus.

Ante omnia quidem hoc notandum est : quum christiana doctrina docetur, *voluntas* non creari, sed

gratiâ Dei jam creata illuminari et corroborari potest. Quum enim ingenium humanum inspicimus, agendi rationes non a doctrinâ quâdam defluere, sed meditationi semper factum antecurrere videmus. Agit homo, deinde de facto judicium facit. Quâ ratione, dum agit, homo sententias quasdam et regulas, et etiam vitæ rationem sibi fingit, quæ quidem cum christianâ doctrinâ congruere aut ab illâ discrepare possunt. In utroque casu ea omnia a nobis efficiuntur et nostra sunt. Doctrina igitur, quum ut vivendi disciplina a nobis accipitur et studiis nostris ingenioque consentit, tùm ad instituendum demum valet. Dum doctrina extraneum aliquid erit, etiamsi cognoscatur intelligaturque, nullo modo ad formandam indolem valebit; sed quum in vitâ exercebitur, tum demum instituendi ratio fiet.

Tenerâ ætate puer seu naturâ corporis seu divinâ gratiâ impulsus agit; instinctu, non cogitationibus ducitur. Posthac, res vitæ meditando æstimandoque, disciplinam quamdam sibi fingit. At quum primum homo de factis suis judicia facit, vivendique præcepta quædam concipit, tum christianæ doctrinæ, quâ a perniciosis erroribus defendatur, quâ etiam erudiatur corroboreturque, cognitio necessaria fit.

Doctrina vero tali modo ut pueri eam non memoriâ tantum teneant, at quasi ipsorum opus eam in animo nasci formarique sentiant, docenda est. Gratiæ occultâ luce Verbum Dei jam revelatum iterum revelatur. Christiani quidem sumus antequam doctrinam percipiamus; quum vero intellexerimus, perfectiores christiani, virili ingenio præditi, et perficiendis officiis pro omni tempore pares fiemus.

DE RECTA CHRISTIANAM DOCTRINAM EXPONENDI RATIONE

XII. — Pueris doctrina aliâ ratione quam viris exponenda est. Hos dialectico ordine fidei articulos docere, perfectamque, quantum res sinat, doctrinam eis constituere decet. Pueros autem non doctrinam quamdam comparatam, quum illi ad honestos piosque mores tantum instituendi sint, docere oportet. Omnia vero quæ docebuntur ita ut pietas augeatur componenda sunt.

Recta igitur idoneaque ratio, non inanibus cogitationibus, sed mentem, indolem, necessitatesque singulorum puerorum animadvertendo constituenda est. Quamobrem christianam doctrinam non ratione secundum logicen, sed juxta eam ingenii humani notitiam, quæ nobis dicitur *psychologia,* dispositâ docere conabimur ; nam quo potissimum modo pueri ad pœnitentiam fidemque et bona opera perducantur hoc loco quæritur. Ut exemplo utamur : dialectica doctrina ab initio de naturâ qualitatibusque Dei, tum de naturâ hominis, et de animi corporisque aut materiei mentisque discretione, ac de ceteris absconditis rebus philosophatur. Quæ doctrinæ rationalibus theologis pergratæ non propositum nostrum perficere possunt; non enim philosophari, sed amorem timoremque Dei colere oportet.

Ut instituendi ratio juxta ingenii humani notitiam adhibeatur, animi cogitatio quâ puer ex traditis doctrinis proprias sententias sibi fingat et ex sententiis voluntates actionesque concipiat, antea cognoscenda est.

Puer primum extraneis multipliciter et diverse afficitur. Affectuum illorum vestigia in puerili mente hâc ratione, quam *associationem* sive res et sententias conjungendi morem dicimus, simul existunt. Hâc conjungendi potestate puer multa variaque mente percepta sui juris facere potest. Animum, undique affectum, attentum, mentemque experrectam præbet, ad multa variaque circumstantia curiose respicit, et animum in illa occupando ad agendum paulatim incitatur : tum aut mentem comparationis meditationisque operi intendit, aut aliquid novum, quod forte in certum consilium vertat aut etiam opere tentet, animo fingit.

At ea quæ pueri animo conceperunt sæpe contraria sunt, eosque interdum diverse trahunt, multumque abest ut disciplinam unam et ratione compositam constituant. Itaque simulac notiones quædam discordes junguntur, puer seu contraria componere, seu sententias quas falsas esse intellexerit excludere, seu percepta in ordinem redigere et ratione disponere nititur. Laborem illum *meditationem* vocamus.

Mens puerilis semper ab *associationibus* rerum ad *meditationes* progreditur. Quotiescumque perceptum recens aliquid superioribus accedit, mens recentia cum veteribus juncturâ quâdam componere conatur. Sic et amplior notionum varietas, perfectior et concors, comparatur crescitque in dies ; sic voluntas quæ donec notionum conjunctio componatur acceptasque intelligentias exercere liceat, non quiescit, progressim corroboratur, et ratione illâ puerorum animus conformatur.

Notionum igitur conjunctiones sive, quas dicimus, *associationes* imprimis ita, ut quam diversissimæ et numerosissimæ sint, in institutione puerili regere

decet. Non enim aliâ disciplinâ animos attentos facere intentosque habere possemus, instituendique ratio quæ multis variisque rebus ingenium puerile intentum haberet, jucunda videretur, nedum tædium afferret.

Si vero novis variisque notionibus tantum faveremus, tempusque animum meditationibus colligendi deesset, pueri, semper recentibus rebus allecti, proprias sententias nunquam conciperent, nec privatim meditarentur, nec vim voluntatis ad suscipienda perficiendaque consilia consequerentur. Itaque in puerili institutione rerum *associationes meditationesque* alternis vicibus ita movendæ sunt, ut animi intentio excitetur et vis voluntatis informetur.

In religiosâ institutione, ut notionum associationibus faveamus, exemplis ab Historiâ sacrâ profanâque et a vitâ sumptis utimur. Veritas una quidem est, at multis variisque modis considerari potest. Sic Dei justitia, et pœnis ex Adamo sumptis, et prophetarum testimoniis, et populi Judaici fato, et felicibus infelicibusque vitæ eventis probatur. Quum specie variâ ostenditur, verum aliquid facilius animo apprehenditur, et quum animus de veritate omnino certior fit, voluntas ad agendum incitatur.

Meditationes autem maximâ curâ præparandæ sunt. Cavendum tamen est ne magistri sententias suas pro cogitationibus puerorum supponant. Magister enim aliâ quâ discipulus meditationis ratione ingenium exercet, puerosque non omnes eâdem ratione meditationes exercere constat.

Magistrum igitur doctrinam christianam ratione puerili ingenio aptâ exponere oportet. At tum quidem

non doctrinam tantum puerorum memoriæ inculcare debet ; nam singulari meditatione solum doctrina ab aliis accepta pueris propria fit. Pueros igitur non doctrinam memoriâ modo tenere, sed institutione quodam modo rursus invenire oportet. Non enim aliter christiana institutio ad formandos animos valeret.

DE DECALOGO

XIII. — Doctrina christiana pueris in catechismo exponitur. Catechismus tamen non tantummodo ad exponendas doctrinas sed inprimis ad piam puerorum indolem informandam spectare debet. Itaque Lutheri catechismum ceteris anteponimus, ut qui semper, quum ad exponendam doctrinam, tum ad puerorum indolem conformandam spectet.

Catechismo suo Lutherus Decalogum præscribit. Jure enim in principio christianæ institutionis pueros peccati sibi conscios facere, primumque amoris fœdus a Deo cum hominibus pactum illis ostendere decet. Decalogum enim non quasi jugum, quo homines ad passivam obedientiam cogantur, habitusque omnino externus ipsis imponatur, tenemus. Passivam etiam obedientiam conformandis moribus nocere magis quam prodesse censemus, nedum illa ad animorum salutem adjumenti sit. Obedientia enim quæ imperio quodam paratur multum a perfectâ, ex amore Dei ortâ, justitiâ abest, et cavendum etiam est, ne ea justitia quæ ex lege est, justitiæ illi gratiâ comparatæ detrimento sit.

Lex, Israelitis ceterisque hominibus revelata, non Judicem tantummodo improbos castigantem, sed Patrem quoque amore abundantem ostendit. Deus enim

cum populo fœdus pepigit; pœnas illis qui imperium suum recusarent minatus est, at fidem suam erga illos qui Eum amarent in millesimam generationem declaravit. Ille qui legi parere cupit, Deum toto pectore diligere nititur. Quum Lutherus Deum timendum amandumque esse, ut Decalogo pareamus, affirmat, hoc verbo non pavorem quidem, sed venerationem significat. Quum igitur ille, qui Deum amet et timeat. Deo confidat, quum isti contra qui fide careant recta nec colere nec facere possint, quum etiam virtutes omnes, fides, et vitia omnia, incredulitas gignat; quum denique peccati principium impietatem, fidem erga Deum justitiæ initium esse constet; non Decalogo nec legi conscientiæ nostræ infixæ, nisi fidem erga Legis datorem servemus, parere possumus.

Decalogus tamen nos peccatores et ad colendam virtutem invalidos ostendit. Quo majore amore, quo et majore timore erga Deum movemur, eo majore dolore vitia nostra percipimus. At mœrore illo non afficeremur nisi bonum fidelemque Patrem jam vereri incepissemus. Dum Spiritus Sancti testificationem lege et Evangelio non experti sumus, Summum Judicem offendisse non dolere possumus. Licet peccatum ægre feramus, et spem amittamus, desperatio ista nullo modo cum pœnitentiæ contritione, quæ nec a desperatione nec ab incredulitate, sed a fide erga Deum et a cognitione Dei oritur, convenit. Conscientiæ terroribus non illi qui Deum non cognoverunt, at illi qui Deo jam aliquo modo fidunt, perturbantur. Terrores igitur illi non ut reprobationis signa habendi sunt, nam nisi Deum cognovisses, non t. emuisses. Hoc unum timendum est, ne non timeas. Non tremunt illi qui justum

misericordemque Deum non cognoverunt, at illis quoque gaudere non licebit.

Lex incredulitatem et impietatem quæ sub pectore latent revelat. At quum patefactæ sunt, vi novâ vigent et difficilius vincuntur. Crescit enim lege vis peccati. Nam legis operâ de erroribus nostris conscii fimus, prudentesque peccamus, qui imprudentes antea peccavimus. Nisi vero de vitiis sibi conscii fierent, a malo liberari peccatores non cuperent. Sed sui conscia incredulitas confirmatur et Deo insane repugnat. Violentiâ quidem istâ, dum peccati gravitati attenti fimus, ad cavendum a peccato excitamur. Pueri non quum leviter sed quum graviter peccaverunt de peccato conscii fiunt, et semet ipsos despicere, de corruptione suâ conqueri, dolore in pœnitentiam converti remissionemque pœnæ exposcere incipiunt. Tum quidem in pectore eorum grave certamen illud, quod per totam vitam cum ipsorum naturâ perducetur, primum instituitur.

QUALIS ORDO IN DOCENDIS FIDEI ARTICULIS SERVANDUS SIT

XIV. — Christianam doctrinam doctores nonnulli a baptismo primum exponendam esse censent: eamdem rationem quâ unusquisque hominum in christianâ vitâ crescat, in docendo catechismo adhibendam esse affirmant, et eâdem ratione quâ pueri ad salutem perducantur catechismum disponendum esse contendunt.

Speculativam rationem certe non adhibendam, attamen christianæ institutionis initium non a baptismo faciendum esse arbitramur. Aliud enim est rationem secundum ingenii humani notitiam, aliud progressus quibus singuli homines crescant sequi.

Apostolico sane tempore, quo plerique jam natu majores baptismum acceperant, et baptismum accipiendo se christianos esse professi erant, doctrina de baptismo ante ceteras exponenda erat. Nos autem non quasi paganos, qui ad accipiendam christianam fidem compellendi sint, pueros nostros habemus. At virtute baptismi eos membra corporis Christi existimamus eosque beneficiorum Christi participes factos scimus. Baptismo enim de vocatione nostrâ, imo de amore Dei peccatorumque remissione certiores fimus.

At quomodo pueri hoc certum haberent nisi antea de fide Providentiæ Dei Redemptorique tribuendâ doctrinam accepissent, quærere licet. Doctrina igitur de baptismo non exponi posset nisi loci omnes qui ad salutem pertineant, eodem tempore exponerentur.

Ab his ergo articulis institutio christiana potius inchoabitur, puerosque peculiari quâdam disciplinâ ea quæ de sacramentis agant docere decebit, ad solemnem illam quæ *Confirmatio* dicitur fidei professionem, quâ pueri, in Ecclesiâ nostrâ, acceptâ christianâ institutione, in conspectu fidelium fidem suam profiteri votumque baptismi renovare solent.

DE PROVIDENTIA DIVINA

XV. — In catechismo suo Lutherus tres apostolici symboli articulos præclare explanavit.

In primo articulo de Creatione et de Providentiâ Dei agitur.

In explicatione illâ Lutherus nullo modo philosophatus est. Hoc unum sibi proposuit, ut puerorum fidem ædificaret. Quod jure fecit, nam vera Dei cognitio

a contemplatione divini amoris et a divinæ bonitatis experientiâ nascitur. Non argumentis quibuslibet sed personali cum Deo communicatione, omnipotentem esse Deum sapientemque et bonum demonstrare possumus, neque philosophica Dei scientia nisi ad confirmandam fidei experientiam usui esse potest.

Primus Symboli articulus esse Deum operum ipsius inspectione demonstrat. Quod argumentum non tam rationibus, aut speculatione, aut logicis, aut arti connexis, quam simplici humilique cogitatione, quâ solâ ad Dei notitiam pervenimus, valet. Illi enim qui philosophicis rationibus rerum universitatem ad principium unum reducere conantur, non necessario Creatorem esse inferunt, nam ipsam naturam mundi causam quâ existat satis firmam arbitrari possunt. Illi qui universarum rerum splendore capiuntur, admirari quidem, non tamen ad Dei cognitionem pervenire coguntur.

Cognitione Dei per fidem acceptâ, et ex humili cogitandi sentiendique modo ortâ, nos de rerum naturâ honestarum, imperfectarum turpiumve, certius et rectius erudimur. Ille enim qui Providentiæ confidit, quum fides ejus nullo modo mundi vitiis turbetur, vitia ista non religioso quodam mendacio occultare, nec hominum superborum et spe destitutorum more amplificare conatur. Philosophus contra, omnia quæ ratiocinationes suas perturbant, plerumque et perlibenter negat ; poeta ea quæ non grata et jucunda sunt omittit. Illi enim perraro res verâ æstimatione perpendunt, nam veritatem in rebus omnibus non nisi humilitate exsequi possumus.

Homo superbus inchoatâ et levissimâ cognitione contentus est ; vir humilis boni et mali rectam æstimationem facit : bonis honestisque gaudet, pravis dolet ; verâ rectâque rerum cognitione incitatus, malorum finem justitiæque victoriam requirit, nec quiescit donec vincatur malum et vincat bonum.

Recta igitur Dei naturæque cognitio, humili pietate adhibitâ, non ad otiosam istam rerum contemplationem, quâ forte philosophus et poeta contenti quiescant, pervenire potest nec in eâ desinit. Neque enim puer, neque vir, quum Deo fidant, repugnantia discrepantiaque quibus mundus perturbatur inertes patiuntur, sed creaturam a Creatore dissidere intelligentes, contraria componere causasque perturbationis removere impigre conantur. Deus enim aut non est, aut, si existit, malum superabit, vim peccati franget, miseris solatia dabit, regnumque suum statuet.

Illi ergo qui Deo confidunt non de qualitatibus Ejus modo philosophantur, sed agunt et fortiter causas perturbationis tollere conantur ut malum bono cedat, gloriaque Dei ubique in æternum regnet.

DE REDEMPTIONE

XVI. — Secundum Symboli articulum, in quo de Redemptione agitur, artâ connexione cum articulo de Providentiâ conjungi debet. Nam eâdem bonitate quâ in vitâ terrestri nobis consulit, Creator a morte et peccato nos liberare satagit ; illi contra qui a peccato liberati sunt, majore constantiâ Deo confidunt et mala facilius aut vitant aut patiuntur aut etiam pro bonis habent.

Præterca, amor divinus in Redemptionis opere splendide patefactus, regnum divinum firmum et æternum statuere, novam humanitatem condere, causas contrarias quæ universitatis concordiam disturbent tollere contendit. Redemptio igitur universo Providentiæ consilio conjuncta cohæret.

Consilium quo Deus homines saluti destinavit æternum est. Quod Deum, quum per Filium suum perfecerit, per Filium quoque Creationis Redemptionisque ministrum concepisse constat. Itaque quum Redemptionis consilium æternum sit, Redemptor quoquo æternus est.

Veram igitur divini amoris cognitionem nos non nisi per Filium assequi posse apparet. Quid enîm refert in Deum credere nisi fides nostra de rerum renovatione et de salute nostrâ nos certos faciat ? Licet Deum esse credamus, nisi in Christum crederemus, de salute nostra desperaremus. Illa quidem quæ corporalibus bonis nostris consuleret, malumque existere sineret, non Providentia esset.

Hâc ratione catechismi institutio componenda est. Pueros Redemptionis doctrinam non ut scientiam aut ut externam quamdam disciplinam docere decet, sed amorem et timorem quibus Deum veneremur, necessario illâ consummari demonstrare debemus. Nam qui Redemptionem per Filium nondum experti Deum vereri et amare conarentur, confusâ perturbatione corriperentur.

Quum articulum de Redemptione Lutherus explanat, non de liberatione singulorum hominum, sed totius redemptorum corporis, cui singuli homines ut membra corpori adhærent agit : « ut essem totus ipsius, et in

« regno ejus sub ipso viverem, ac ei servirem, perinde « ac ipse a morte surrexit, vivit, et regnat in æternum ».

Quæ non indiligenter cogitanda sunt, nam ad puerorum institutionem aliquantum valent. Pueri enim naturâ suâ ad rerum externarum inspectionem impelluntur et semetipsos, universum humanum genus contemplando, propensione quâdam neglegunt. Illa quidem puerorum inclinatio nonnunquam bona est : pueros enim ut se ipsos anxiâ observatione observent non immoderate cohortari decet ; illi enim qui, ut histrio in theatro, dicta factaque sua inspicere solent, superbiæ aut desperationis periculis obnoxii sunt. Ipsa quidem desperatio superbiæ species quædam est, tristitiaque quæ non secundum Deum sit, non salutaris tristitia est.

Interest igitur puerorum ut Redemptioni, eatenus quâ illa æternum Dei regnum præparat, attenti fiant. Quum pueri mentem magnis potius quam parvis rebus attendant, et universis magis quam singularibus studeant, facile ut magni hujus operis socios, et magnæ hujus universitatis participes esse sensim et progressim cupiant, efficietur.

Christiana igitur institutio Redemptionis doctrinam primum cum universo Providentiæ opere conjunget, deinde universi humani generis Redemptorem singulorum quoque hominum Liberatorem esse ostendet.

DE JUSTIFICATIONE

XVII. — Lutherus tertium Symboli articulum explanans, ante omnia de justificatione agit. In hoc loco opus magistri difficilius fit. Nam, ut verum loqua-

mur, justificatio per fidem non re verâ per magistrum tradi potest. Licet christianæ doctrinæ expositione discipulum ei doctrinæ assentiri putemus, quo modo gignatur fides justificans ? Non enim de cognitione, sed de pectoris renovatione, non de fide quâ articulos fidei quosdam profiteri, sed de illâ quâ peccatorum remissio obtineatur puerorumque indoles formetur, et in summâ de salute agitur.

Eo gravioribus offendemur obstaculis quo doctrinæ propositum ipsa fides est, fidesque illa, quæ fidei justificanti confidat, gignenda est. Quæ quidem munus gratiæ Dei est, a quo solo peccata remitti possunt.

Nostrâ tamen sententiâ, docentium præcepta et catechismi disciplina multum ad augendam fidem, quâ justificatur homo, valent.

Primo loco pueris exempla hominum, in Veteri ac Novo Testamento fide insignium, proponentur. Simili ratione usus, Paulus in Epistulâ ad Romanos Abrahami exemplum proposuit, et huic exemplo multa alia in Epistulâ ad Hebræos adjuncta sunt. Ipse Jesus Judæos incredulos objectis, quum Abrahami, tum Reginæ Austri et Ninivitarum exemplis, castigavit.

Secundo loco præceptor ea quæ et ipse et pii homines omnibus temporibus, præcipue Reformatores experti sint disertis verbis depinget.

Tertio loco falsas doctrinas, quibus Pelagiani et Romani pontifices, et rationales mysticique theologi doctrinam de fide justificante obscuraverunt, exponere decebit. Nam quum veritas errori opponitur, illa nonnunquam manifestius apparet, et auditorum fidem auget.

Deinde adolescentes scriptis Pauli, Psalmis, ceterisque Bibliorum libris quibus justificatio per fidem laudatur, studebunt. Quibus scripta testium illorum, videlicet Augustini, Lutheri, Arndtii et aliorum, qui veritatem per sæcula confessi sunt, addentur.

Postremo oportebit ut pueri in eâ Ecclesiâ instituantur, cujus ministri, doctores, docentesque omnes veram gratiæ et justificantis fidei doctrinam animo percipiant, et hauriant, et in pectus demittant.

DE CONNEXIONE JUSTIFICATIONIS PER FIDEM CUM CETERIS ARTICULIS CHRISTIANÆ FIDEI

XVIII. — Ceteros articulos christianæ fidei, qui omnes tertio Symboli articulo cohærent, singulatim persequi minime necesse est. Nobis quidem non universam articulorum fidei summam explanare, sed quâ instituendi ratione illi ad informandam indolem valeant monstrare proposuimus.

Indolem enim apud illos tantum quorum pectus pœnitentiâ et fide, peccatorum remissione et justificatione renovatum sit, ex integro formari posse constat. Disciplina illa quâ pueris tantum pietatis habitus, sacrorumque ritus, et articulorum fidei ipsissima verba traderentur, informationi pectoris vere humani non adjumento, sed potius detrimento esset.

Hoc unum statuemus, ceteras omnes de fide sententias exponendas esse. Articuli enim de sanctificatione, de Ecclesiâ, de mediis gratiæ, de Resurrectione et ceteris stricte cum articulo de gratiâ justificante

cohærent. Dum universam doctrinam christianam exponit, caveat magister ne philosophetur aut mysticorum more in mysteriorum investigatione divagetur, sed omnia ad peccatorum remissionem, fidem gratiamque reducat.

Sic doctrina de Sacrâ Cœnâ ita explananda erit ut illis, qui Christi corporis et sanguinis participes fuerint, hoc sacramentum velut remissionis cautio appareat. Ceteræ vero de mystico animi cum cœlesti sponso connubio, de occultâ Christi corporis ad carnis resurrectionem virtute quæstiones, quæ a Patribus et recentioribus doctoribus cum doctrinâ illâ conjunctæ sunt, etiam semper viris, ne dicam pueris, abstrusæ et reconditæ erunt. Pueros quidem Christum, pro nobis mortuum, in nobis habitantem, et nobis justitiam per veniam dantem, docere decet.

DE PRECIBUS

XIX. — Lutherus in catechismo Symboli expositioni præcepta de precibus subjicit, nam sine precum disciplinâ nulla perfecta christiana institutio est.

A teneris annis, longo tempore antequam doctrinam erudiantur, pueros ut Deum implorent laudentque assuefacere oportet. Eâ ratione quâ scientiâ, fide et amore crescent, acrius et fidentius precabuntur. Christianâ experientiâ, peccati conscientiâ, circumstantibus periculis, afficientibus doloribus, sollicitudinibus et laboribus, liberationibus divinis, ut Deum imploremus et magnificemus semper incitamur.

Refert tamen articulum de precibus, adhibito Dominicæ Orationis ordine, separatim exponere. Pueri enim sic præcipuos christianæ fidei articulos, et ante omnes doctrinam de Providentiâ iterum percipiunt, usu cognoscunt, et in pectora demittunt. Aliud est ordinem mundi, ad propositum et excellentem finem, præsidente Providentiâ, decurrentem intueri, aliud exploratæ et indubitatæ Providentiæ operi se perseverantibus precibus experientiâ jungere. Quum Providentiæ fidem habeamus, ut bono malum vincatur cupimus et viam secundum fidem agendi ingredimur, et hoc modo apud pueros animi virtus formatur.

Virtus illa primum precibus patescit. Qui precatur, luctatur et agit; sine precibus nulla est, christianâ sententiâ, actio.

Primo loco, oratio ad panem quotidianum spectat. Quæ pane quotidiano significentur Lutherus lautissime enumeravit, et his puerorum animum valde imbuere decet; nam quum nos contra sollicitudines muniant experientiamque divini auxilii ad vitæ negotia nobis præstent, preces animum nostrum ad incumbentes labores obfirmant.

Secundo loco precibus, ad obruentia mala æquo animo patienda, adducimur; quum dolorem fortiter patimur, eo ipso animi fortitudine quam maxime imbuimur. Homo imbecillis animi singula quædam virili contentione aliquando perficere potest, at ex omnibus unus vir fortis constanter et patitur et obdurat, quod virilis animi indicium est.

Tertio loco precibus nos divinæ voluntati jungimus et ut regnum Dei victoriam obtineat et nomen Dei

glorificetur operam nostram damus. Hoc summum pietatis culmen est, quo fides perfectæ maturitatis et insuperabilis vis voluntatis ostenduntur.

Preces igitur multum ad formandam indolem, conversis in propositum unum conatibus nostris, valere constat. Nam vires exercitatione crescunt et precando exercentur. Quum adolescentes precari consueverint, præceptoris officium absolvetur. Ipsa vita juvenibus disciplina erit, qui semetipsos tunc instituent.

SUMMA

XX. — Nobis christianæ institutionis utilitatem demonstravisse videmur. At illa rectis principiis idoneâque disciplinâ componenda est. Hoc quidem Evangelicæ Ecclesiæ semper gloriæ erit, veræ educationis finem, id est, vividi et fortis christiani ingenii institutionem, sine intermissione observavisse.

Quum exempla hortationesque seniorum, tum institutionem, id est, sanæ doctrinæ traditionem, præcipue adhibendas esse ostendimus. Magni enim refert juvenes non doctrinam quamlibet docere. Nam quum doctrina salutis, quam per gratiam et fidem consequimur, contemnitur, superbia gignitur ; quum lege abutimur, passivâ obedientiâ, quæ justitiæ imperfecta species est, et fictâ eâ justificatione, quæ operibus constat, virtutis simulatio gignitur.

Si forte incertæ tantum doctrinæ et indefinitæ opiniones docerentur, si apud pueros, sanæ pietatis

loco, animi mollities quædam et brevis concitatio foverentur, animi imbecilles et inconstantes fingerentur. Doctrinâ dubiâ, sensibus concitatis, et vanâ curiositate, vis animi frangitur; nam puerorum animi, dum dispersis variisque rebus attenti sunt, diverse pervagantur, et turbatur etiam mens, nedum bene componatur.

Decet quoque præceptorem de suscepto officio lucide et recte cogitare, rationem quâ puerilis mens crescat compertam habere, et insitam corruptionem salutariaque adhibenda remedia exploravisse.

Viri fortes animo, licet et perpauci, persæpe magnam partem in civitate aut Ecclesiâ obtinent, nam vulgus semper a viris paucis ingenio præstantibus, ducitur. Si fide et pietate careant, auctoritas eorum perniciosa erit; at quanta bona, si amore Dei impleantur, facient!

Nihilominus incerti vel egregiæ institutionis effectus sunt. Nam etsi magistri integerrimi sint, singulorum puerorum nativa indoles adeo variat ut sæpe incertum sit an recta disciplina adhibita sit; optimus quisque præceptor interdum totâ vitâ errat. Et nonnunquam accidit ut opus a præceptore lente et constanter elaboratum primâ adolescentis cum hominibus congressione corrumpatur. Ne tamen ille spem deponat! Divinam gratiam semper imploret, vitiaque disciplinæ suæ, ut eam assidue meliorem faciat, diligenter perscrutetur!

At scientia hominem instituendi artisque sollertia non satis valent: usus humilitatis, quâ deficiente nemo, in scientiâ ullâ, proficere potest, adhibendus est. Quæ humilitas christianum præceptorem eo

magis decet, quod perpetuo divinum auxilium requirit, et in summà non sibi, sed ad communem utilitatem et ad gloriam Dei laborat!

FINIS

Vidi ac perlegi :

Publicæ disputationis præses

E. Vaucher.

Vidi :

Fac. theol. ev. Univ. Paris. decanus,

A. Sabatier

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

Gréard.

5222 — imp. E. LANIER, 1 & 3, rue Guillaume – Caen